1/695
Lane Medical Library

DE

HYDROPE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IX. M. MARTII A. MDCCCXXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Carolus Guilelmus Riemann
SAXO - BORUSSUS.

Opponentibus:

GUST. WOLFF, med. et chir. Dr.
AD. STRAUBE, med. et chir. Dr.
AUG. SEVERIN, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

MANIBUS PATRIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Hydrops s. Hydrodes affectus s. Hyderos, s. Hydroposis est collectio humoris serosi morbosa vel in interstitiis telae cellulosae, vel in cavitatibus corporis naturalibus, vel in saccis propriis per membranas secernentes praeter naturam formatis.

Fluidum hoc morbo secretum tam natura, quam copia magnopere variat. Gignitur collectio ejus modo celerius, modo tardius, semper vero ea ex magna aquae copia constat, in qua paulum principii albuminosi, calcariae phosphoricae, natri muriatici, kali sulphurici, omnium minimum vero ferri phosphorici solutum est. Ex aliorum analysi chemica partes constituentes erant: natrum, natrum muriaticum et natrum cum acido lactis conjunctum, praeterea aliquid ureae. Color humoris cernitur clarus atque pellucidus, aut flavus, luridus, lividus, fuscus, interdum subviridis. Odoris nonnunquam plane expers est, ceterum

mucido, sulphureo, putrido et, morbo diutius durante, suburinoso est odore; saporis est salsei, acris. Natura humoris aut lymphatica aut mucosa, aut tenax et puri haud dissimilis, interdum hydatides et concretiones filamentosas continens. Semper calori aquae bullientis expositus abit in gelatinam et pro majore aut minore, quam continet, principii albuminosi multitudine celeriter aut tarde coit, interdum jam in temperatura graduum 34—40 scalae Reaumurianae.

SYMPTOMATA HYDROPIS GENERALIA.

Hydrops communiter declaratur volumine partis affectae aucto, quod ex pressu fluidi collecti in partes exteriores fit, non ex nutritione aucta. Intumescentia pallida exhibetur, paulum nitens, doloris expers, frigida, diffusa, non elastica, versus infimas partes considens, gravitatis sensum movens, haud raro pellucida. Fluctuatio sentitur, si manus altera cavitatibus hydropicis, quibus parietes sunt molles, imponitur, manu altera vero latus oppositum leviter pulsatur. Humore vero duris integumentis incluso deest hoc signum. Impressio telae cellulosae per digitum facta sine crepitatione fit et fovea hoc modo orta celerius aut intra longum tempus exaequatur.

Jam vero majoris momenti ad dignoscendum hydropem sunt signa, quae ex pressu fluidi in organa interna et partes vicinas oriuntur, qualia habemus in primis dolorem et laesam viscerum functionem. Symptomata hujusmodi pro varia partium ratione, quas hydropica occupat colluvies, maxime variant; sic tensio et dolor, inflammatio erysipelacea cutis per hydropem anasarca, per hydrocephalum somnolentia, sensuum perturbationes et paralyses; impedita organorum respirationi inservientium functio per hydrothoracem; ex hydropericardio functiones cordis, ex ascitide organa digestioni destinata laeduntur.

Accedit praeterea sanguinis mutatio, praesertim morbo per aliquod tempus durante; augetur enim serum, partis fibrosae autem et albuminosae copia minuitur, sanguinis dissoluti signa apparent, quippe qui difficile concrescat. Temperatura cutis et extremarum partium imminuitur, cutis externae color mutatur tam ob calorem ejus diminutum, quam ob sanguinis alienationem coloremque excipit pallidum, luridum, cachecticum, rubore turgescentiaque amissis. Pallidam etiam videmus membranam oris mucosam.

Omnibus hydropicis communes sunt affectiones sympathicae cutis, membranarum mu-

cosarum et renum. In organis morbo correptis secretio est aucta, in ceteris imminuta, quam ob causam cutis pergamenea, sicca, haud mollis, tactu aspera, contracta, tensa offertur, functio ejus plane suppressa; sudorem enim fere nunquam nisi in ultimo hydropis torpidi stadio, et tunc quidem copiosum et tenacem animadvertere licet. Membranarum mucosarum secretio diminuta aut sublata, unde magna sitis orisque siccitas, quae nunquam a febri sola morbum fere comitante pendet; pari modo etiam alvus adstricta, tarda et obstipata est, faecesque omnino hydropicorum siccae et durae sunt. Redditur urina admodum parca, communiter concentrata, turbida, obscura, jumentosa, foetida, aliquando qualitate alienata sic, ut materiam albuminosam contineat et propter id ipsum congelescat vi caloris, plerumque si hydropi renum status morbosus subest. Saepissime sedimentum ejus latericium urea est. Attamen vero non semper hydropicorum urina parca invenitur, imo largior, ubi febris aegrum nondum invasit vel hydrops est saccatus, ex causis localibus ortus.

AETIOLOGIA MORBI.

Ex sola urinae secretione diminuta hydropem nasci veteres medici putarunt, nusquam

enim in corpore sano viderunt humorem hydropico similem praeter urinam. Quum vero hydropicorum secretio urinae persaepe non recte procedat, hydropem fieri, persuasum sibi habuerunt, si forte major copia potus aut cujuslibet fluidi a corpore humano assumeretur, quam quae urina emitti posset; eamque ob causam remediis diureticis, ceteris omnibus exclusis, hydropem sanari posse censuerunt. Experientia vero et cadaverum dissectionibus edocti hanc falsam esse de hydropis origine opinionem, causam ejus in morbis hepatis aut lienis praecipue quaesiverunt. Jam vero et hoc a Morgagni impugnatum legimus in clarissimo ejus opere de sedibus et causis morborum Lib. III. de morbis ventris, cujus verba haec sunt: »Hypothesis vi potius quam Hippocratis auctoritate adductos olim plerosque fuisse medicos, ut jecur primum deinde et splenem hydropis facerent causas, sed plura hic culpari viscera ostenditur, sive ubi bene multis productis hydropicorum extispiciis insons fuisse utrumque illud viscus demonstratur.«

Plurimi medici hunc usque in diem morbi nostri causam proximam putant malam inter secretionem et resorptionem proportionem, ita, ut vel secretione tantum aucta praeter

naturam humores serosi effundantur in cava et spatia corporis, vel sana secretione existente, imminuta tamen, praeter naturam resorptione humorum in cavis et spatiis effusorum, vel utroque hoc statu morboso locum habente hydrops oriatur. Putarunt secretionis largioris causam esse auctam vasorum exhalantium functionem, resorptionis diminutae aut debilitatem aut spasmum aut obstructionem tumoribus vel vasa lymphatica vel venas prementibus effectam. Impugnari jure hanc sententiam ab aliis arbitror. Vasa enim exhalantia non existunt, verisimillimum potius est, omnino secretionem serosam fieri per transsudationem e vasis systematis capillaris, maximam in partem e solo sanguinis sero et quidem tunicarum serosarum, telae cellulosae aut membranarum mucosarum. Quod attinet ad statum vasorum lymphaticorum morbosum, quem iidem medici hydropis auctorem accusarunt, monendum est: saepissime nihil ejusdem morbi multis in hydropicis inveniri posse; concedunt etiam argumentum unicum, quo probari possit hydropem inde originem ducere, oedema esse, natum e carcinomate glandularum lymphaticarum et oedema pedum gravidarum, ortum e pressu vasorum lymphaticorum atque venarum per uterum gravidum.

Nullo autem modo probari potest oedema, cujus causa carcinoma arguitur, e sola vasorum lymphaticorum degeneratione provocatum esse, inveniuntur enim axillares longum per tempus glandulae, exempli sit venia, destructae aut ob carcinoma mammae, aut ob morbum scrophulosum, nec tamen oedema inde sequitur, quod magna non nisi corporis debilitate his morbis producta, una cum symptomatibus aliis, mortem appropinquantem significantibus, oritur. Resorptionem vero plane sublatam artus cujusdam corporis nostri oedema excipere constat.

Discrepantia illa, de qua supra dixi, inter secretionem et resorptionem e solo vasorum exhalantium et resorbentium morbo proficiscens, si sententiam meam proferre licet, e statu morboso tam systematis nervorum, quam vasorum et organorum reproductioni inservientium pendere mihi videtur.

Raro tantum morbosus nervorum status hydropis efficiens est. Imminuta nervorum vi, functio vasorum capillarium debilitatur, secretio seri quod continent tardior fit, vasa illa eo implentur extenduntur que ita, ut serum ea pervadat. Eadem ex nervorum vi debilitata resorptio per vasa lymphatica et venas impeditur, unde oedema artuum para-

lyticorum explicari potest. E spasmo cutaneo etiam oedema ortum ducere posse probat oedema fugax in morbo hysterico et aliis in morbis spasmodicis occurrens. Eodemque modo hydrops, qui spasticus dicitur, refrigerio, vel si quis calente corpore potum sumit frigidum, ira, horrore, aliisque animi affectibus excitatur (Rud. Aug Vogel praelect. §. 656). Obnoxii sunt huic hydropis generi plerumque teneres infantes, mulieres hystericae, hypochondrici, omnino ii qui constitutione nervosa praediti sunt; atque homines ejusmodi hydrocephalo interdum perire notum est, sicuti hydropem diversarum corporis nostri partium ad paralyses accedere, tamquam signum debilitatis crescentis.

Multo vero frequentius hydrops originem ducit e statu morboso systematis vasorum. Congestiones hydropi ansam dare posse probatur eo, quod hydrothorace corripi videmus homines incurva calumna vertebrarum praeditos, ob perpetuam organorum pectoris irritationem et sanguinis versus ea congestionem quae exinde sequitur, liberumque cursum sanguinis aut congruum ejusdem in pulmonibus et corde miscelam et elaborationem pervertit. Eodemque modo hydrocephalo afficiuntur infantes ob congestiones versus caput, huic ac-

tati puerili proprias. Pertinet huc quoque hydrops, qui vitia cordis et vasorum majorum sequitur. Referuntur huc omnia, quibus congestiones activae procreantur, inprimis secretionum sanguinearum, catameniorum, haemorrhoidum suppressio et abusus spirituosorum potuum, quo sanguinis congestiones versus organa singula efficiuntur. Attamen non modo congestionis, sed etiam inflammationis ipsius exitus hydrops esse potest, inprimis inflammationis tunicarum serosarum, sicuti piae matris, pleurae, peritonaei aliarumque; praecipue si inflammatio crisi normali non sanatur, effunditur humor serosus ob perseverantem vasorum vehementiorem actionem et statum subinflammatorium partium affectarum. Oedema erysipelas interdum excipiens, hydrops anasarca qui sequitur scarlatinam, exanthemata acuta suppressa et affectiones rheumaticas et arthriticas partium externarum retrogradas, simili modo efficitur. Idemque valet de exanthematicis chronicis multisque aliis morbis suppressis, de scabie, tinea, herpete, diarrhoea subito suppressa, de ulceribus pedum inveteratis imprudenter ad cicatrisationem coactis, de suppressione secretionum tam naturalium quam praeternaturalium. Longe plurimorum hydropum vero morbi raro tantum

sanabiles organorum reproductioni inservientium causae efficientes sunt. Quae vitia viscerum organica eo facilius hydropem excitant, quo ditiora haec vasis lymphaticis sunt et quo magis sanguinis circuitus per vitia illa impeditur. Ortus hydropis a vitiis organicis facilis explicatu est ex reproductione in illis partibus impedita, et confectione virium vitiis organicis in continuum irritantibus, nec non ex totius corporis cachexia, plerumque cum vitiis talibus conjuncta. Eandem ob causam destructiones et desorganisationes hepatis, lienis, glandularum lymphaticarum, morbus scrophulosus summi gradus, steatomata magna vasis lymphaticis majoribus vicina, cordis vitia, varicositas et infarctus venarum abdominis, praesertim venae portarum hydropis auctores sunt. Excipit hydrops, summam nutritionis depravationem indicans, interdum febrem intermittentem pertinacem, icterum, torporem et statum mucosum tractus intestinorum. Porro omnibus morbis, qui totum corpus magnopere debilitant et torporem systematis resorbentis producunt, hydropis ortus adtribui potest: ut paralysi, jacturae humorum, dysenteriae, sanguinis praesertim immodicis evacuationibus, diarrhoeae diuturnae, lienteriae, diabeti, fluxui coeliaco; accusanda

etiam est exinanitio virium sine materiae amissione. Nonnunquam hydrops nascitur in stadio reconvalescentiae inprimis morborum gravium, cum profluviis humorum conjunctorum, aut ex adiposi morbosa, quae facillime in hydropem mutatur; expertum enim habemus, majorem seri sanguinis copiam tam ex vitiis reproductionis quam ex partium solidarum mutatione, maxime adipis, gigni posse.

Aetas puerilis et senectus magis propensa est ad hydropem, quam aetas media, mares minus quam feminae, praesertim tempore decrepiditatis et involutionis aut non multo post, porro homines temperamenti phlegmatici, constitutionis lymphaticae, laxae, segnes, obesi, cum praevalente systematis lymphatici torpore, abusui spirituosorum, potissimum accedente vita sedentaria, dediti. Causae disponentes sunt porro omnia, quibus corpus debilitari potest: fructus ciborum hebetantium pravorum, aliaque continua digestionis impedimenta, coelum humidum et nebulosum, praecipue ad ripas fluviorum aut lacuum, negotia quae in locis rebusque aquosis fiunt ut: piscatorum, cerdonum, lavatricum. Domicilia humida, insalubria, defectus aëris puri, lucis et corporis motus. Frequentissime occurrit propterea morbus ad oras Belgiae, Angliae et Germa-

niae septentrionalis. Ceterum remotae hydropis causae sunt diversissimae, quia saepissime morbus est secundarius nec omnes hic enumerari possunt. Occurrit aut diffusus aut saccatus, acutus aut chronicus, modo protopathicus, modo deuteropathicus, simplex et complicatus, sporadicus et endemicus.

DECURSUS MORBI.

Decursus morbi varius atque incertus pendet ex causa, quae hydropi subest, et ex partibus quas incessit. Morbus aut est peracutus, ita, ut decem usque ad viginti quatuor horarum spatio finitus sit, aut acutus, paucis jam diebus aegros interficiens, quod plerumque fieri solet, si cum inflammatione conjunctus est. Communiter tamen decursus ejus chronicus esse solet et multos per annos eum durasse exempla docent, praecipue si hydrops vitiis organicis ortus est, saepe periodicitatem manifeste ostendit ita, ut interdum morbus increscat, interdum decrescat. Quam ad rem multum valet anni tempus, quum in atmosphaera humida et nebulosa aegri magis patiantur, quam coelo sub sereno. Decurrit praeterea morbus aut conjunctus cum spasmo aut cum febri aut afebrilis cum debilitate et macie totius corporis.

EXITUS HYDROPIS.

In convalescentiam exit morbus brevi tempore aut per crises insignes aut, quod maxime videmus, per crises sensim sensimque accedentes et per hebdomades durantes. Decernitur hydrops sudore, id quod in universum raro fit, et solo fere in hydrope acuto. Observata etiam est crisis per diarrhoeam aquosam, memoratur porro crisis per salivationem, per haemorrhoides, menstrua, erysipelas. Transsudatio humoris hydropici per cutem partis affectae tamquam crisin localem oriri videmus. Jam vero constat insignem hydropum crisin per alvum et renes fieri; anomalis urinae secretio tam quod attinet ad copiam, quam ad naturam normalis fit, urina colorem fuscum et luridum et sedimentum, cujus jam supra mentio facta est, amittit coloremque recipit flavum paeneque aquosum, imminuto simul tumore hydropico et tandem evanescente. Vomitum aquosum etiam non minus ad morbum dijudicandum profuisse traditur.

Exitus hydropis in alios morbos rarissimus esse videtur et forsan non accidit, nisi hydrops ex morbis suppressis, qui in pristinam suam sedem reducuntur, ortus sit.

In mortem exit hydrops, ob vehemen-

tiam morbi febrisque cum eo conjunctae crescentem vel ob virium consumtionem, vel ob pressum fluidi in viscera, quorum status integer vitae omnino necessarius est. Interimuntur hoc modo aegri aut cordis actione, aut respiratione, aut cerebri functione impedita. Accedit et febris hectica ad hydropem ab initio afebrilem propter maciem et cachexiam per ipsum morbum continuo auctam, quae aegros colliquatione, maxime diarrhoea colliquativa, interficit. Cutis partium hydropicarum tensa haud raro inflammatur et dirumpitur, quod si fit facillime ulcera gangraenosa inde oriuntur celeriter morbum et vitam finientia.

Dissectione cadaverum hydropicorum facta major minorve fluidi hydropici collectio aut in saccis praeter naturam ortis, aut in cavis naturalibus, aut in interstitiis telae cellulosae, interdum etiam in ossibus conspicitur. Praeterea inveniuntur desorganisationes hepatis, lienis, mesenterii concretiones, exsudationes, morbi renum et propter cachexiam hydropicam maciei et dissolutionis signa.

PROGNOSIS.

Haec vulgo est adversa, excepto tamen oedemate, quod facilius sanari potest et hydrope e spasmo profecto. Maximi momenti ad prognosin instituendam sunt:

Complicatio morbi cum febri. Prognosis hydropum acutorum, nisi viscera magnae dignitatis infestant, melior est quam chronicorum cum torpore totius corporis incedentium. Quo tardius hydrops crescit, eo minor salutis spes affulget, quia tum morbos graves plerumque causam ejus esse experientia compertum habemus. Celeriter ortus, quamquam periculum saepe affert, sanari tamen facilius potest. Ceterum discrimen faciendum est inter febrem morbum ab initio statim comitantem et febrem consecutivam, morbo longum tempus durante et destructione materiae organicae excitatam. Haecce febris consecutiva plerumque mortem appropinquantem praenunciat.

Sedes morbi. Oedema et hydrops anasarca meliorem prognosin praebent quam hydrops cavitatum corporis. Ex quibus hydrocephalum rarius quam hydrothoracem, hunc difficilius quam ascitidem sanari posse scimus. Hydrops ovarii difficile quidem sanatu est, exitium tamen sero parat. Porro quo latius morbus divulgatus est, eo magis vitae periculum imminet; hydrops saccatus per annos multos durare potest.

Copia humoris hydropici et impedimenta viscerum vicinorum eo pro-

ducta. Pendet prognosis hoc si respicias ex dignitate partis quae premitur. Cerebri compressio in hydrocephalo maxime timenda, haud adeo leviorem compressionem pulmonum in hydrothorace, aut viscerum abdominalium pressuram in ascitide, metuendam esse apparet.

E causa morbi, si modo nota est, prognosis potissimum eruenda. Si hydrops a vitiis reproductionis, vel organicis, ex pseudorganisationibus, e physconia hepatis, lienis, aut corporis cachexia ortum duxerat, vel si exitus est morborum chronicorum, omnibus remediis resistentium, admodum malam praebet prognosin et mors etsi e longinquo appropinquans certa tamen est. Hydrops, cujus causae sunt vitia cordis aut vasorum majorum organica, exempli gratia aneurysmata majora, ossificationes, insanabilis putatur, quod causae ejus, sicuti omnium fere hydropum, qui a vitiis organicis producti sunt, amoveri non possunt. Non aeque periculosi habentur hydropes ex virium consumtione et jactura humorum geniti. Ceterum quo minus secretiones normales suppressae sunt, quo minus inprimis cutis et renum functio imminuta est, eo levior morbus esse solet.

Corporis constitutio et temperamentum. Quo magis constitutio corporis hydropici cachectica est, quo magis aetate

provectus atque debilis et temperamenti phlegmatici aeger, eo gravior morbus esse solet. Inde fit, ut hydropis torpidi prognosis pejor sit, quam spastici et in quem homines juniores et robustiores incidere observantur.

Nec minus respicienda est diuturnitas morbi; quo recentior hic, eo melior prognosis.

Larga et exonerans urinae secretio, qua incredibilis copia humoris e corpore amoveri potest, larga transspiratio cutis, quae quanquam raro evenit, musculorum et ligamentorum dolores tumorem decrescentem comitantes, prurigo cutis, spem bonam excitant. Signa mali ominis habenda sunt: aegritudo quae longum per tempus hydropi antecesserat, praecipue vitia digestionis, functio cutis plane suppressa, faciei color pallidus et luridus, urina admodum parca et crassa, colore rubro, sine sedimento, sitis permagna, humoris hydropici natura gelatinosa, pulsus intermittens. Pessimi ominis sunt: febris hectica accedens ad hydropem, dolor viscerum latice circumdatorum, diarrhoea colliquativa, somnolentia vel agrypnia et inflammatio cutis erysipelacea, quae facillime in gangraenam mutatur, et petechiae. Jam vero quantopere totum corpus hydrope laborantis morbo infectatum sit, ex habitu ejus majus minusve cachectico ob depravatam nutritionem et ex febri comitante cognoscas.

THERAPIA MORBI.

Removendae sunt primum causae hydropis, posthac evacuanda est serosa colluvies via maxime idonea. Quo facto vulgo etiam morbi regeneratio prohibetur, si quidem morbus sa-

nari potest; persaepe enim omnibus remediis, omni medicorum arti et labori resistit. Tunc vero palliativa curatione opus est aut ob diuturnam morbi aetatem, aut ob symptomata urgentia. Dubitarunt medici, cui harum indicationum primum satisfaciendum sit: num collectio hydropica primum sit eliminanda an formatio ejus et incrementum ante hoc sit impediendum. Morbo nascente et si paulum tantum humoris effusum est, ante omnia nobis studendum esse, ne crescat hydrops, jam magna vero fluidi copia praesente remotionem ejus saepe indicationem vitalem et primum perficiendam esse, experientia docti sumus. Vulgo tamen nihil prohibet, quominus utramque curae methodum simul adhibeamus.

Indicatio causalis. Quum tam variae multaeque sint hydropis causae, quum diversissimique hujus morbi fontes sint, diversissimam etiam curae methodum esse debere clarum atque perspicuum est. Ac primum quidem curatio radicalis instituenda, attamen a symptomatica haud omnino sejungenda, quum quae hunc ad finem adhibentur remedia eo saepe curationem radicalem perficiant, quod antagonisticum habent effectum ita, ut secretio humoris hydropici per auctam aut cutis, aut renum, aut tractus cibarii secretionem vel diminuatur, vel omnino prohibeatur. Quare contra hydropem, cujus causa in sola corporis debilitate latet, quae sequi consuevit febres intermittentes diuturnas, sanguinis magnam jacturum, aliorumque humorum inquilinium, aut morbos graves, quibus vires consu-

muntur, etiamque contra hydropem universalem reconvalescentiae periodo ortum, remedia corroborantia una cum mitioribus medicaminibus diureticis adhibeantur, ut vires exhaustae confirmentur et latex effusus e corpore removeatur. Ante omnia virium imbecillitati auxilium ferendum est, si hydrops nimia cum debilitate conjunctus est, aut febrem hecticam excipit. Ceterum et impedimenta mechanica removenda sunt, vel spasmorum vel congestionum sanguinis, quae fortuito adsunt, cura instituenda, vel suppressa cutis functio diaphoreticis remediis in integrum restituenda erit. Hydropi inflammatione excitato eaque ex causa perduranti antiphlogisticam medendi methodum opponas. Potissimum vero vitiorum organicorum ratio habenda est; hydropem ex physconia hepatis, lienis, ex induratione ventriculi, cordis et pulmonum morbis, ex renum degeneratione proficisci jam supra memoratum est, quorum vitiorum medela ante omnia medici studium esse debet, quatenus non obstant corporis aegri constitutio et necessaria hydropis curatio palliativa. Attamen cum haud raro vitiorum organicorum radicalis medela omnino non periclitanda sit, quia remediis contra illa aegro praescriptis lethalis morbi exitus accelerari possit, saepissime tamen vitia organica hydropis auctores sint, facile intellectu est, cur tot hydropes sanari non possint. Si hydrops natus est ex metastasi, vel si sequitur repentinam morbi suppressionem, aut secretiones naturales aut illegitimas subito suppressas, exanthemata chronica repulsa, ar-

thritidis et rheumatismi metastases, secretiones illae et morbi primarii si modo fieri potest rursus excitandi sunt.

Indicatio morbi est eliminatio fluidi collecti. Quamquam certum atque exploratum est, initium medelae hydropis a motione fluidi non esse faciendum, inprimis si symptomata localia non urgent et laticis copia haud magna effusa est, ita, ut sperare liceat, sublata causa etiam residuum morbi resorptione et secretione adaucta e corpore expelli, tamen haud raro ab initio statim cura symptomatica instituatur necesse est, exempli gratia, ne suffocatione aegrotans interficiatur. Accidit interdum, ut symptomatica morbi curatio etiam radicalis fiat, saepe enim remediis laticis resorptionem efficientibus causa morbi simul aufertur, praecipue si haec in functione cutis et renum laesa latet. — Eliminatur autem humor hydropicus duplici via: vel augendo secretiones naturales remediis pharmaceuticis, ut verbo hoc utar, vel via arte aperta per paracentesin et scarificationes. Adaugentur autem secretiones legitimae ad hydropem curandum remediis emeticis, purgantibus, diaphoreticis, diureticis et syalagogis. De quibus singulis hoc fere tenendum est:

Emetica non porriguntur ad removendum humorem per vomitum, quamquam et in hac via crisis hydropis observata est, sed ad excitandam aliam atque justam, tam vasorum resorbentium, quam secernentium actionem, nervorum commotione quam provocant, atque inducendas largiores secretiones. Attamen

propter periculum quod afferunt interdum hydropicis, non laudantur nisi in hydrope torpido, conjuncto cum statu gastrico aut mucoso, et contra hydrocelem incipientem et hydropem uteri non gravidi.

Remedia diuretica, siquidem idonea eligis, tam ad hydropem acutum, quam chronicum sanandum summum valent. Laudautur contra hydropem inflammatorium salia: cremor tartari, kali nitricum, kali aceticum, tartarus boraxatus et alia ejusdem generis salia; aquae minerales, gas carbonicum continentes, acida vegetabilia et mineralia, et conjuncta cum aliis remediis contra torpidum quoque hydropem. Cui tamen magis conveniunt Hb. petroselini, baccae juniperi, Turiones vini, Hb. sabinae, rad. senegae, Hb. levistici, spir. nitri aether. Terebinthina et reliqua medicamina balsamica, porro rad. armoraciae, Hb. digitalis, rad. squillae, colchicum auctumnale, nicotiana, colocynthides et remediorum drasticorum doses parvae, ne alvus cieatur; cantharides, millepedes, pyrola umbellata, rad. caincae, Hb. uvae ursi et multa alia hujus generis. Sin autem diuretica invalida sunt ad urinae secretionem augendam, remedia haec aut inter se commutanda aut plura eorum conjungenda sunt.

Diaphoreticorum usus faciendus est, si renes excitare propter vitia eorum organica non licet, vel si diuretice remedia in renes integros vim fere nullam exserunt, inprimis autem contra hydropes ex cohibita cutis transpiratione originem ducen-

tes vel spasmum, sudores et omnino suppressos morbos cutis et glandularum excipientes, summam utilitatem afferunt, praecipue propensa cute ad sudorem. Utimur diaphoreticis inde a mitioribus, potu theae diaphoreticae, Liquore ammon. acet., praeparatis antim. diaphoreticis, Salibus cum basi ammoniacali aliisque multis, usque ad guajacum et camphoram. Nec balnea tepida et vaporaria sunt negligenda, nec applicatio cinerum calidorum nec fricationes oleosae, quas jam Galenus et Celsus laudarunt

Quae quidem sudorifera damnum haud facile afferunt, sed etiam insignis eorum efficacia raro tantum observatur, quod vulgo cutis hydropicorum omnino non ad sudorem propensa est.

Purgantia drastica autem maximum et citissimum auxilium praestant symptomaticum, ususque eorum saepe jam eam ob causam requiritur, quod hydropis efficiens interdum torpor est organorum digestioni inservientium. Facillime etiam remediis drasticis renum et vasorum resorbentium functio excitatur, si alia medicamenta, hunc ad finem data, nihil profecerunt. Usum eorum contra hydropem inflammatorium et febrilem locum habere non posse intelligitur, eo majorem autem utilitatem afferunt iis aegrotantibus, quorum constitutio corporis torpida est et lymphatica et quo magis haecce conditionibus endemicis sustentata est. Adhibentur vulgo, si aucta urinae secretio non amplius excitari potest et hydrops ad summum pervenit fastigium. Usitatissima reme-

dia drastica sunt: Senna, Jalapa, Aloë, Colocynthides, Gratiola, Gummi Guttae, Scammonium, oleum crotonis, calomel et reliqua multa. Interponantur drastica remediis diureticis et tempore aliquo praeterlapso repetantur, debilitant enim magnopere digestionem, viresque consumunt, icterum ipsum imprudens eorum usus efficere potest, quam ob rem constitutionis aegri semper ratio habenda est. Salivatio contra hydropem cerebri et oculi auxilium tulisse traditur, haud facile tamen prolicienda, nisi infricando gingivae hydrargyrum muriaticum mite.

Dum augemus secretiones curandi ratione antagonistica, resorptio humoris effusi crescit. Complura etiam medicamina, quorum mentionem feci, ob resorptionem tantum auctam, quam efficiunt, secretiones copiosiores excitare videntur et omnium quidem maxime: Antimonialia, Mercurialia, Jodi praeparata, rad. senegae et flores arnicae.

Haec omnia medicamenta interna adjuvant vincula comprimentia, infricationes partium hydropicarum, in hydrope pectoris, pericardii et articulorum visicatoria etiam prosunt, in anasarca autem applicata facile gangraenosa efficiunt ulcera.

Ceterum ab initio remedia mitiora semper porrigenda sunt, tunc fortiora, modo a fortioribus ad mitiora redeundum, modo omnino cessandum est, modo diversa eandem vim exercentia inter se conjuncta adhibenda sunt. Magno etiam cum studio quaerat medicus, quaenam secretio sit augenda, natura enim cogi non

potest ad crises certa et praescripta via perficiendas. Ratio itaque habenda est genii epidemici et endemici, qui tum ad acutos quam chronicos pertinet morbos, diligentissime investigandum, quonammodo crises eo regnante vulgo fiant et remedia antihydropica eligenda tum sunt, quae excitant secretiones illas, quarum aucta functione et alii morbi coaetanei vulgo dijudicari solent. Jam vero cum et singulis hydropis speciebus certa remedia optime conveniant, eligenda sunt remedia secundum sedem morbi: sic contra hydrocephalum purgantia, hydrothoracen diuretica, hydropem anasarcam diaphoretica maxime valent. Pendet etiam ex anni tempore, quaenam remedia medicus jubeat: sic diaphoretica tempore aestivo, diuretica hiberno, purgantia tempore auctumni majoris efficaciae esse scimus.

Eliminatio humoris hydropici per paracentesin et scarificationes.

Operatio paracentesis vulgo nonnisi auxilium symptomaticum fert et raro tantum hydrops per eam solam sanatur. Hydropem celerrime rursus crescere, paulo post operationem factam, ita, ut brevi tempore denuo instituenda sit, experientia docuit. Quam ob rem et praesertim cum vires aegri eo consumantur et lethalis morbi exitus acceleretur, medici fuerunt, qui operationem maximam in partem damnum pro auxilio afferre putarunt parumque ei confisi sunt, nisi exundantis seri fons obturari possit. Jam vero mihi persuasum est paracentesin nonnisi tempore incommodo factam inutilem aut noxiam esse. Vulgo enim

ex ea auxilium petunt medici nimis sero, si hydrops pertinax caeteris remediis resistit et vires aegroti diuturna morbi aetate fere exhaustae sunt, mature autem institutam suppetias ferre maximas hydropicis, quorum vires non sunt debilitatae et magnopere medicamina interna adjuvare, multorum auctoritate probatur; sunt enim ad excitandas secretiones data insignis tunc efficaciae, dum antea nullam paene vim exseruerant. Quantum vero sit auxilium paracentesis, dijudicandum est ex facultate hydropis causas removendi et corpus cachecticum roborandi; causis enim morbi non sublatis palliativam tantum vim eam habere posse intelligitur.

Ex aliorum sententia ad paracentesin tunc modo confugiendum, si ex pressura fluidi vitae aegrotantis periculum imminet ob timendam suffocationem; aut si ex morbo alio, jam vero exstincto, hydrops ortus est; exempli gratia, ubi pleurae, peritonaei aliarumque membranarum serosarum inflammationem sequutus est et sola laticis eliminatione sanatur, aut ubi membranae secernendi facultas inflammatione adhaesiva excitata deleri potest, sicuti in hydrocele. Instituerunt medici paracentesin maxime in ascitide, raro in hydrothorace, rarissime in hydrocephalo.

Differunt etiam de scarificationum usu medicorum opiniones. Laudatur ab aliis in hydrope anasarca, si artuum tumefactorum cutis pallida, valde tensa, atque nitens fit; etiam in hydropem pectoris et abdominis magnam ferre opem, adeoque, quo minus erysipelacea cutis

inflammatio, et ulcera gangraenosa existant prohibere dicitur. Aliorum vero sententia aqua ex incisionibus factis effluens inflammationem procreat cutis, quae facillime transit in gangraenam, ob id statim ab initio illae instituendae sunt, antequam cutis minus tensa sit et signa corruptionis ejus appareant. In eo vero semper consentiunt: incisiones tantum minimas faciendas esse et summam mundiciem spectandam esse.

Humore autem hydropico, aut remediis pharmaceuticis, aut ope chirurgica, remoto, ne nova colluvies oriatur curare debemus. Quam ob rem remedia interna, quibus hunc finem assequuti sumus, non subito rejicienda sunt, sed dosibus minutis aliquamdiu etiamnum porrigenda et sanguinis mixtio, quae in omnibus hydropicis alienata est, in meliorem vertatur. Quum vero sanguis seri copia redundet et dissoluti similis sit, una cum remediis secretionis augentibus conjungenda sunt ea, quibus sanguinis natura depravata melior redditur et vires aegroti corroberantur, quo spectant remedia amara et prae ceteris cortex peruvianus et praeparata martialia.

Jam vero cum diaeta hydropicorum moderanda et summi momenti sit, brevibus exponam, quid hac in re observandum esse mihi visum sit. Errasse illos, qui interdicendo potum resorptionem humoris augeri putarunt, inter omnes nunc satis constat. Hoc enim modo omnino non fit, cruciantur autem aegri praeter necessitatem maximam siti. Ad libitum ergo aeger

potionem sumat, saepe enim potum largiorem mirifice profuisse compertum habemus, ita, ut urinae tanta copia emitteretur, ut non solum potio, sed etiam multum humoris hydropici e corpore eliminatum sit. Ubi autem hydropi degeneratio renum subest, potus tam parvus sit, quantum unquam fieri potest. Caeterum medicaminibus contra hydropem datis natura ejus semper respondeat, in hydrope acuto exempli gratia porrigatur potio aquosa, aqua limonata, in hydrope spastico thea ex remediis antispasmodicis composita, in hydrope torpido ptisana ex remediis diureticis. Pari modo etiam ciborum fructus dirigendus est, ita, ut digestionis viribus parcatur et secretiones leniter aperiantur, quem ad finem olera, praesertim quae diuresin movent, uti turiones asparagi, apium, pastinaca, cinarae, rapae, cepae, porra et alia commendantur.

Prodest porro aegroto aër siccus, purus et elasticus et modica corporis vel activa vel passiva motio, quousque hoc fieri potest.

Ex symptomatibus molestis et periculosis, quae interdum accedunt ad hydropem, mentionem faciam inflammationis erysipelaceae cutis in ultimo morbi stadio, quae ne mutetur in gangraenam, cavendum est; tum obstructio alvi, vel renum affectiones, quae interdum remediorum diureticorum usum sequantur, summopere considerandae sunt. Praeterea tussis in hydrothorace coërcenda, digestioni in ascitide auxilio veniendum est. Paralyses, inflammationes et signa colliquationis ad hydropem

accedentia, tanquam mortis appropinquantis nuntii, summa virium contentione oppugnanda sunt.

VITA.

Natus sum ego Carolus Guilelmus Riemann Rottleberodae prope Stolbergam die decimo sexto mensis Augusti MDCCCXII. patre optimo Carolo Joanne, rei metallicae magistro, matre Christiana e gente Kaiser. Confessioni evangelicae addictus sum. Usque ad annum aetatis decimum quartum primis literarum elementis per praeceptores privatos imbutus, gymnasium adii Nordhusanum, quod tunc temporis Directore Dr. Schirlitz florebat, ibique per annos quinque commoratus sum. Testimonium maturitatis nactus, anno MDCCCXXXII. Berolinum petii et in numerum civium academiae regiae militaris medico-chirurgicae receptus sum. Ab eo inde tempore virorum Illustrissimorum et Experientissimorum per tres annos hisce interfui praelectionibus:

Cel. Wolff de logice et psychologia. Beat. Rudolphi de methodologia et encyclopaedia medica. Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia et splanchnologia. Cel. Eck de physiologia et pathologia generali; Cel. Turte de chemia et physice. Ill. Link de botanice et historia naturali. Ill. Mueller de physiologia. Ill. Schlemm de anatomia tam generali quam speciali, eundemque in arte cadavera dissecandi praeceptorem habui. Ill. Osann de materia medica et de fontibus medicatis. Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis mentis et syphiliticis. Ill. F. Hufeland de therapia generali, semiotice et therapia speciali. Ill. Kluge de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali. Ill. Juengken de chirurgia speciali et generali eundemque cum Ill. Kluge in akiurgia habui ducem. Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi. Artem fascias imponendi Ill. Kluge me docuit. Policlinico medico-chirurgico Cel. Truestedt per semestre interfui.

Jam nunc ut legi satisfacerem medici inferioris ordinis munere in legione decima sexta pedestri tres per annos duce Dr. Ewermann functus sum.

Quo facto Berolinum iterum petii anno MDCCCXXXVIII. ibique in numerum civium academicorum Universitatis Friderici Guilelmi a Rectore magnifico Boeckh receptus, scholam medicam coram Ill. Wagner t. t. Decano maxime spectabili professus sum. Per annum interfui scholis clinicis Cel. Wolff et Ill. Wagner, Cel. Truestedt, Ill. ab Graefe; et Ill. Kluge in arte obstetricia tam theoretica quam practica praeceptorem habui.

Quibus omnibus viris Illustrissimis et optime de me meritis gratias maximas ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratiosa facultate medica absolutis, spero, fore ut, dissertatione controversiisque publice defensis, summis in medicina et chirurgia honoribus impertiar.

THESES.

1. Symphysiotomia in arte obstetricia plane rejicienda.
2. Phthisis tuberculosa nunquam e pneumonia oritur.
3. Nullum certum signum distinguit graviditatem ab hydrometra.
4. Syphilis sine mercurio citius, jucundius, nec minus tuto sanabilis, quam ope mercurii.

57(13)